

**I. LITTERAE PRO ILLUSTRIBUS DOMINIS DUCIBUS MASOVIAE
SUPER SUCCESSIONE IN EORUM DUCATUM ILLIS CONCESSA,
QUAMDIU STIRPS EORUM MASCULA DURAVERIT**

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia inter egregia regum et principum facta ea potissima censentur, quae de clementia et liberalitate proficiscuntur, ac ea, uti reliqua omnia, temporaria sunt et fluxa, nisi litterarum monumentis fuerint commendata; ideo nos Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, necnon terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiaviae, Russiae, Prussiae, Culmensis, Elbigensis Pomeraniaeque etc. dominus et haeres, manifestum facimus tenore praesentium universis, praesentibus et futuris.

1. Quia cum Serenissimus olim frater noster Alexander rex quosdam tractatus habuisset cum illustribus Anna matre et tutrice, Stanislao et Ianussio ducibus Masoviae, ac eorum consiliariis, de iure caduco ratione feudi ipsius ducatus Masoviae, terris, civitatibus, districtibus, castris, oppidis, villis et bonis, videlicet Warschewa, Vysszegrod, Zakroczim, Czyechanow, Lomza, Nowigrod et villis Camyon, Młodzieszin, Przeslawicze, in terra Gostinensi sitis, quae omnia litteris antiquis feudalibus ac etiam novis per parentem ipsorum ducum, illustrem olim Conradum datis¹, ad praefatum Alexandrum regem et regnum Poloniae fuerunt devoluta, ac eo deducta et composita res esset, ut ipse Serenissimus frater noster Alexander rex, singularem gratiam eisdem ducibus exhibendo, reliquerit illis in feudum ducatum et terras ac bona, quae post obitum parentis ipsorum ad se spectabant, suamque et regni sui Poloniae successionem ad ipsum ducatum Masoviae et bona ad illum pertinentia nonnisi post decessum utriusque, videlicet Stanislai et Ianussii ducis limitarat ac praefinierat²; succedentibus vero posthac nobis ad hoc ipsum regnum nostrum Poloniae iidem duces multa erga nos praecleara sua obsequia et merita exhibuerunt, cognoscamusque tales duces regibus et huic regno non vulgari esse et usu et ornamento; volentes etiam nos rationem nostram, quam eorum meritorum habemus, et gratiam in illos testatam facere et memoriam nostri in ipsorum domo ducali relinquere ipsosque ac posteros ipsorum nobis et regno nostro devinctiores reddere, post donatam illis terram Visnensem³ et alias beneficentias nostras exhibitas, etiam successionem nostram et posterorum nostrorum regni Poloniae, quam post obitum ipsorum in dicto eorum ducatu Masoviae terraque Czirnensi⁴ et terris aliis omnibus, quas modo possident, habituri fuimus, ipsis posterisque ex stirpe ipsorum virilis sexus de consilio et consensu universi senatus regni nostri concedendam duximus et praesentibus litteris nostris concedimus perpetuo et in aevum, donec stirps ipsorum mascula duraverit; alioquin ea deficiente nobis ac posteris nostris eandem successionem reservamus et reservatam esse volumus.

2. Similiter et homagium, quod praestare nobis et successoribus nostris tenebuntur, et servitium bellicum in ipso ducatu nobis successoribusque nostris et regno nostro relinquimus. Quod quidem servitium iuxta veterem consuetudinem iidem domini duces contra quemlibet nostrum et regni nostri hostem facient, donec de certo numero, quo illud nobis successoribusque nostris regibus Poloniae fieri deberet, cum illis transigamus. Illud tamen, quanto interim diligentius et copiosus pro nostra et sua ipsorum dignitate obire curabunt, hoc vicissim nos illis uberiori gratia et munificentia nostra regia dignabimur referre.

¹ Przywileje, dotyczące nadania wymienionych w tekście posiadłości na rzecz Konrada III, księcia czerskiego, nadane zostały przez Jana Olbrachta 20 kwietnia 1496 na sejmie piotrkowskim. Por.: *Iura Masoviae Terrestria*, t. II, nr 154, s. 62-65. Por. też nr 158, s. 74-76.

² Por. układ zawarty pomiędzy królem Meksandrem Jagiellończykiem a księżną mazowiecką Anną na sejmie piotrkowskim 7 marca 1504 r., *Iura Masoviae Terrestria*, t. II, nr 169, s. 97-100, oraz nr 170-172, s. 100-106.

³ *Ibidem*, nr 194, s. 133-135, przywilej Zygmunta I nadający ziemię wiską księżnej mazowieckiej Annie, jej synom i ich prawnym następcom.

⁴ Por. Jana Olbrachta nadanie ziemi czerskiej Konradowi III prawem lennym, *ibidem*, nr 153, s. 58-61, oraz zobowiązanie Konrada III do złożenia Janowi Olbrachtowi przysięgi lennej, *ibidem*, nr 155, s. 65-67.

In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum et datum in conventu Cracoviensi generali, feria secunda proxima post dominicam Oculi anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio [10 III 1523], regni nostri anno decimo septimo, praesentibus reverendissimo ac reverendis in Christo patribus dominis Ioanne Lasski archiepiscopo Gnesnensi, legato nato et primate, Ioanne Conarski Cracoviensi, Mathia Drzewiczki Wladislaviensi, Petro Thomiczki Posnaniensi et regni nostri vicecancellario, Raphaele Leszczinski Premisliensi et electo Plocensi, Iacobo Chelmensi, episcopis, Andrea Crziczki electo Premisliensi, necnon magnificis, venerabilibus et generosis Nicolao de Dambrowicza castellano Cracoviensi et exercituum regni nostri capitaneo generali, Cristophoro de Schidlowyecz palatino et capitaneo Cracoviensi et regni nostri cancellario, Nicolao de Ludbrancz Posnaniensi, Andrea de Thanczin Sandomiriensi, Ioanne Zaramba de Calynowa Calissiensi, Stanislawo de Coszelec Siradiensi, Nicolao de Coszelec Brestensi et capitaneo Dobrzinensi, Hieronimo de Lassko Iuniwladislaviensi, Ottha de Chodecz Russiae generali et Haliciensi, Colomiensi capitaneo, Martino de Camyenyecz Podoliae et praefecto militum nostrorum in terris Russiae, Ioanne Bochothnyeczki de Oleschnyca Lublinensi, Andrea de Cutno Rawensi, palatinis, Luca de Gorka Posnaniensi et capitaneo Maioris Poloniae generali, Nicolao de Schidlowyecz Sandomiriensi et regni nostri thesaurario, Venceslao de Ostrorogk Calissiensi, Ioanne comite de Tharnow Woynicensi, Ianussio Swirczewski Wislicensi ac Ropczicensi et Trebowliensi capitaneo, Ioanne de Coszelec Iunivladislaviensi, Ioanne de Thanczin Lublinensi, Ioanne de Tharnow Byecensi et tenutario Pilsnensi, Georgio Crupsky de Orchow Leopoliensi, Adamo de Drzewyca Radomiensi, Ianussio Lathalski Landensi et capitaneo Iunivladislaviensi, Ioanne de Wyeczwna Plocensi et capitaneo Brathianensi, Stanislawo Myeleccki Zawychostensi, Stanislawo de Sprowa Zarnowiensi et capitaneo Opoczniensi, Stanislawo Thomyczki Myedzirzecensi, Mathia Gosthinski Srzemensi, Ioanne Cobilensky Rosperiensis, Nicolao Wolski Sochaczowiensi, magistro curiae Reginalis Maiestatis capitaneoque Lanczkorunensi, castellanis, Stanislawo de Chodecz marschalco regni nostri ac Leopoliensi capitaneo, Petro Kmytha de Wissnycze marschalco curiae nostrae ac Scepusiensi, Premisliensi et Colensi capitaneo, Ioanne Lathalski Gnesnensi, Cracoviensi et Lanciciensi, Ioanne Carnkowski Scarbimiriensi praepositis, Nicolao Zamosccki cantore Sandomiriensi, Ioanne Górski archidiacono Posnaniensi, canonicis Cracoviensibus, secretariis nostris, Silvestro Ożarowski succamerario nostro ac Zawichostensi capitaneo, Nicolao Thomyczky tribuno Lanciciensi, praefecto stabuli nostri ac Costensi, Pisdrensi et Coninensi capitaneo, Ioanne Tharlo de Szczekarzowicze incisore regni nostri et aliis quam plurimis dignitariis aulicisque nostris, testibus circa praemissa fidedignis, sincere et fidelibus nobis dilectis.

Datum per manus praefati reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Posnaniensis et regni nostri vicecancellarii, sincere nobis dilecti.

Sigismundus rex subscripsit.

II. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae primarum restium, ut ingruente necessitate, aliis litteris declaranda, unusquisque ad locum designatum in vim hostilem reprimendam veniat.

Sigismundus, Rex Poloniae etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris, terras regni nostri ubilibet incolentibus et praesertim terram N. et districtum N. de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti!

Agentes hic conventum generalem novissimum omni cura et sollicitudine nostra et consiliariorum nostrorum tentavimus et perquisivimus aliquos alios modos opportunos, quibus regnum a continuo impetu infidelium, qui in dies magis invalescunt, defendi possit, quam generali bellica motione, que, ut nemo ignorat, maximum affert omnibus incommodum et